Epistola 317. IOHANNI COCCEIO IOHANNES HENRICUS HEIDEGGERUS.

S. P. D. Admodum Reverende, Clarissime et
Celeberrime Vir, D. et fautor aeternum
honorande. Jussit Rev. D. Huldricus, Eccle-
siae Tigurinae Antistes, Socer meus pl.
dilectus, ut se ob silentium ad literas
Tuas humanissimas, solicite apud R. T.
excusarem. Eo ipso tempore quo nuntius
noster, per quem ei literae Tuae redditae
sunt, Tiguri fuit, ipse ob invaletudinem
usus thermis scribere non potuit.
Proxime tamen se certo responsurum
recepit. Ne tamen, Vir Rev. destitu-
are cognitione causae Anabaptisticae,
cujus cura vehementer nostros tor-
quet, pauca excerpsi ex literis Amplis-
simi cujusdam ex Senatu Tigurino
Viri, ex quibus, donec Socer meus
satisfaciat per literas, utcunque totius
causae statum cognoscere dabitur.
Exultavi nuper vehementer, cum
copiam nanciscerer responsi solidissimi
ad futilissimos importuni Critici lusus.
Rogo magnopere, ne causae illi gravis-
simae etiam imposterum desis. Misisti
ad me nuper disputationes in Johannem
quarum postrema fuit secunda de
Judicio Christi. quibus quantopere dele-
ctatus sim, dicere non possum. Nunc etiam
rogo enixissime, ut et sequentium dis-
putationum in eundem Johannem mihi gratiam
facere digneris. Sto in procinctu, comi-
taturus dil. conjugem meam, quae in Patriam
abit visitatum parentes, comitaturus Franco-
furtum usque. Hisce, Vir Celeberrime, salu-
tarissime vale et Deo Te Ecclesiae et nobis
sospitante pl. salve. Steinfurti 15. Aug.
MDCLXIV. Ver. Nominis Tui
Devotiss. cultor
J. H. Heideggerus.